



**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum Christus, vt homo solùm habuerit hanc indirectam  
protestate[m] in regna, & res temporales mundi. An etiam directa  
tamquam verus Rex, & Dominus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



15  
An Christi  
debeat  
dici sacer-  
dos secundum  
ordinem  
Aaron,

Fabula  
Iudaica.

Thomas  
Waldensis.

Christus  
non fuit  
Leuita.

Solutur  
Argumen-  
tum.

Dices, Ergo potius Christus debet dici Sacerdos secundum Ordinem Aaron, quia expressius praefigurabatur eius Sacrificium per Sacrificium Aaronicum.

Respondeo; Suidas verbo Iesus in Lexico refert quandam fabulam à quodam Hebræo Neophyto acceptam, qui narrabat tamquam ingens arcanum Iudæorum, Christum fuisse electum à Phariseis Sacerdotem templi, ibiq; obuiisse munus illius Sacerdotij. Et Thomas Waldensis tom. 2. cap. 116. indicat Christum fuisse Sacerdotem Leuiticum in ordine Lectorum: citat Augustinum & Isidorum, qui tamen nihil tale dicunt: & probat, quia Christus in Synagoga docuit, & eiecit ementes & vendentes de templo: quæ sunt munia Sacerdotij. Sed omnino certum est, Christum non fuisse Sacerdotem secundum ordinem Leuiticum. Patet ex contextu ad Heb. 7. Nam is, de quo hæc dicitur, de aliâ tribu fuit, de qua nullus altario præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Idem constat ex c. 9. v. 11. Non in manufacta sancta introiit Iesus. Adde, Quod Sacerdotes non fiebant electione, sed origine ex Aaron & filijs eius. Exod. 29. Leuit. 8. 2. Paralip. 26.

Vnde ad Argumentum; Respondeo Neg. Consequentia. Sacerdotium enim Leuiticum, etiam representaret Sacrificium Christi cruentum; tamen erat imperfectum, & temporale, & per ipsum Christum auferendum: significabat enim statum Christi passibilem. Sacerdotium verò Melchisedech potius erat perficiendum: sicut Lex Evangelica sustulit legem Moyse, naturæ verò legem non sustulit, sed perfecit. Vnde Sacerdotium Melchisedech aptissime representat perpetuitatem Sacerdotij Christi. Porro, Fabulam illam bene refutat Heutenius post Euthymium in Epistolas Pauli.

Ad rationem Waldensis, Nego illa fuisse propria Sacerdotum: nam etiam Sapientes nõ Sacerdotes poterant docere & disputare in templo & Synagoga; vt patet de Paulo Actorum 13. 14. 17. & maxime Prophetæ. Eiecit autem vendentes & ementes non vt Sacerdos Leuiticus: nam Luca 20. v. 2. interrogabant eum In qua potestate hæc facis? sed vt Prophetæ, habens diuinitus auctoritatem. Occurrunt hic duo dubia.

D V B I V M I.

Quam potestatem habuerit Dominus ratione huius supremi Sacerdotij?

16  
Potestas in  
spiritua-  
lia.

Conficitur  
in tribus.

Respondeo Primo, Habebat potestatem exacte satisfaciendi pro toto genere humano seipsum offerendo: id enim erat proprium munus huius Sacerdotij ad Deum.

Respondeo Secundò, Habebat supremam potestatem in spiritualibus infra Deum nulli creaturæ communicatam, quæ communiter vocatur Potestas excellentia. Ita Doctores in 4. dist. 1. & D. Thomas infra quæst. 64. art. 3. ad 4. Patet Matthæi 28. Conficitur autem hæc excellentia in tribus. Primò, In supremâ iurisdictione spirituali in omnes homines, qua potest illis leges imponere, obligare, dispensare: atque adeo nouam Rempublicam spiritalem, extra quàm non sit fa-

lus, institueret: vt Matthæi 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hæc petram edificabo Ecclesiam meam &c. Secundò, In potestate condendi Sacramenta, ex se vim sanctificandi habentia, nouumque instituenti sacrificium, cuius etiam vis in totum orbem pertingat. Deinde, in potestate sanctificandi, & remittendi peccata, sine vllò symbolo externo, & etiam per alia quæuis per quæ placuerit; vt patet Matth. 9. & Luc. 5. Tertio, In eo quod omnis alia potestas spiritualis in Ecclesia, deriuata sit per Christum ab hac potestate Sacerdotij ipsius, cum ipse eam immediatè à sua diuinitate habeat. Vt patet prioris ad Corinth. 4. v. 1. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et ad Eph. 4. v. 11. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.

Respondeo Tertio, Ratione huius supremi Sacerdotij habuit etiam potestatem in res omnes temporales totius mundi, quatenus id necessarium erat ad finem spiritalem: idque longè perfectiori modo, quàm Pontifex. Et ratio est, quia perfecta potestas gubernandi ad aliquem finem superiore, necessario includit potestatem in omnia inferiora, quæ finem illum possunt impedire, vel plurimum promouere: nam omnia inferiora debent disponi, prout expedit ad finem supremum, alioquin illa potestas esset imperfecta.

D V B I V M II.

Vtrum Christus, vt homo, solum habuerit hæc indirectam potestatem in regna, & res temporales mundi; An etiam directam, tamquam verus Rex & Dominus?

Sunt tres sententiæ. Prima, Negat Christum talem potestatem habuisse. Ita Dominicus Soto in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. & lib. 4. de Iustitia quæst. 4. art. 1. Eiusdem sententiæ videtur Franciscus Victoria relectione 1. De potestate Ecclesiæ, quæst. 5. num. 15. Secunda sententia est, Christum hæreditario iure fuisse Regem Iudæorum, tamquam hæredem Dauidis. Ita Richardus Armacanus lib. 4. Quaestionum Armeniacarum, cap. 16. Tertia, Christum absolutè fuisse Dominum totius orbis. Ita D. Thomas lib. 3. de Regim. Princip. cap. 12. sub finem, & 13. & 14. & insinuat infra quæst. 59. art. 4. & 6. Iacobus Almainus opusculo de potestate Ecclesiæ, cap. 8. Ioannes à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia c. 116. Nauarrus in Cap. Nouit de Iudicijs. num. 130. respondens ad octauum Argumentum.

Dico Primò, Christus, quæ Deus, est Dominus vniuersorum tam temporalium, quàm spiritualium. Patet; Quia ipsius sunt omnia titulo creationis, & conseruationis; & singula ad suos fines gubernando perducit.

Dico Secundò; Christus, vt homo, non fuit Rex regni Iudaici titulo hæreditario. Est certus, & communis Doctorum. Vide Victoriam supra num. 16. Probatur Primò, Quia Regnum Messie, de quo Scripturæ, est spirituale, extendens se non solum ad Iudæos terminos, sed ad terminos terræ, & dirigens ad finem spiritalem. Psalm. 2. v. 6. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Ioan. 18. v. 36. Regnum meum non est de hoc mundo. Idem colligitur

17  
Potestas in  
tempo-  
ralia.

18  
Tres sen-  
tentia.

19

Christus,  
quæ homo  
non fuit  
Rex hære-  
ditarium  
Iudææ.



gitur Isaie 9. Hieremias 23. Ezechiel. 34. & 37. & alibi. Secundò; Si iure hereditario: ergo per B. Virginem, vel per Ioseph? Non per Ioseph; quia verè non erat Filius, sed putabatur. Luc. 3. v. 23. Deinde, quis vniquam dixit Iosephum fuisse Regem; aut vade colligi potest illum descendisse à Dauide per Salomonè, & omnes posteros primogenitos per quos ius regni descendebat? Tertio; constat successione hereditariam regni Dauidici fuisse abolitam in Iechonia, iuxta vaticinium Hieremias 22. v. 30. *scribe virum istum sterilem; neque erit de femine eius vir, qui sedeat super solium Dauid*; nempe temporale. Nam Christus descendens ex huius femine. *sedit super solium Dauid spirituale*: vt notat Hieronymus in illum locum; & optimè Ambrosius lib. 3. in Lucam sub finem: vbi fuse ostendit Christum non sedisse, nisi in solio Dauid spirituali. Eodem modo probari potest, quod neq; per Matrem regni ius habuerit. Non enim Virgo Regina, aut Pater eius Rex fuit Israëlis.

Neque Rex  
Mundi,  
titulo  
humano.

Dico Tertio; Christus, vt homo, non fuit Rex temporalis mundi, aut alicuius regni, eo modo quo alij homines, scilicet titulo humano, qui excludat aliorum dominia. Probatum Primò; Ioan. 6. *Cum vellet ipsum facere Regem, fugit*. Luc. 12. v. 14. cum ab ipso peteretur iudicium in causa temporalis, respondit: *Quis me constituit iudicem aut disiudicem super vos?* vbi Ambrosius notat, Dominum non assumpsisse hanc temporalem dignitatem. Secundò; Quia Christus paucorum rerum humano more dominium habuit; vt inter cetera fuse docet Ioannes XXII. in Extrauag. *Cum inter nonnullos. tit. de Verborum significatione*. Tertio; quia non erat consentaneum muneri & dignitati ipsius Christi, vt rectè notauit Ambrosius. Veniebat enim, vt doceret contemptum diuitiarum, honorum, & omnium rerum caducarum, tamquàm parui momenti respectu caelestium. Vnde in hymno de Epiphania dicitur: *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia*.

Tria con-  
siderant.

Hinc sequitur Primò; Errare illos, qui affirmant, in ipso conceptionis momento omnes Reges amisisse iura & dominia suorum regnorum, solumq; vsum permissu Christi retinuisse. Secundò; Item eos, qui omnes Reges dicunt esse Christi vicarios in temporalibus & spiritualibus: quod docuit Ioannes Wicleff teste Waldensi lib. 2. Dogmaticis fidei antiqua c. 76. Tertio; Parum esse probabilem eorum sententiam, qui dicunt Pontificem directè esse dominum totius orbis in temporalibus; eò quòd sit Vicarius Christi. Vide Victoriam loco citato à num. 13. vsque ad finem. Nauarrum in Capit. Nouis n. 88. & sequentibus.

20  
Christus,  
vt homo  
habuit po-  
testatem  
indirectam  
super om-  
nia Regna.

Dico Quarto; Christus, vt homo, saltem habuit potestatem indirectam super omnia regna totius mundi, quatenus erat necessarium ad finem spiritalem. Vide Victoriam suprà. Patet ex dub. superiore.

Dico Quintò; Christus etiam directè habuit potestatem excellentiè super omnes res humanas, & regna totius mundi, ita vt pro suo arbitratu possede illis disponere: & hoc videntur velle Authores tertiè sententiæ.

Imò & po-  
testatem  
excellenti-  
am in omnia  
Regna ha-  
buit dire-  
ctè.

Probatum Primò; Apocal. 19. v. 16. *Erat in seculo eius scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium*; id est, in humanitate, vt exponit Glossa. Ad Hebr. 1. v. 22. *Quem constituit heredem vniuersorum*; scilicet secundum humanam naturam. Psalm. 8. v. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius. oves & boues & vniuersa pecora campi*: quod Apostolus ad Hebr. 2. de Christo exponit, 1. ad Corinth. 15. v. 2. *Omnia subiecit ei, prater eum, qui subiecit ei omnia*. Atqui valdè impropiè diceretur omnium Rex & Dominus & heres, si solum haberet potestatem indirectam, nec posset aliter rebus vti, quàm sit necesse ad finem spiritalem.

Probatum Secundò; Ratione. Primò, Sicut Deus est Dominus vniuersorum, & tamen non impedit propria dominia humana, sed hæc ab illo pendunt, sicut causæ particulares ab vniuersali: ita potuit suæ humanitati communicare supremam quandam illius dominij participationem, quæ priuata dominia singulorum non tolleret. Sicut patet in simili, scilicet in potestate spirituali: Et si enim Christus habeat supremam potestatem excellentiæ in spiritualibus, tamen Pontifex & Episcopi habent etiam veram potestatem & iurisdictionem. Secundò; Quia Scripturæ tribuunt Christo duplicem potestatem, scilicet sacerdotalem, & regiam: ergo hæc potestates sunt aliquo modo distinctæ; sicut fuerunt in Melchisedech qui erat typus Christi. At potestas illa indirecta non est distincta à potestate spirituali, sed intrinsecè in illa includitur, tamquam ad eius rationem pertinens: ergo ponenda est in Christo aliqua potestas directæ in regna temporalia. Hinc sequitur, Christum potuisse priuare omnes Reges suis regnis, eaque alijs donare; & omnium Regum iura ab ipso pendere, saltem permissiue, idque ab initio conceptionis: Nam ab initio fuit heres vniuersorum; & ab initio dedit ei Pater omnia in manus; quamuis vsum & externam demonstrationem huius potestatis, non habuerit ante resurrectionem.

Explican-  
tur, quid  
potuerit  
per hanc  
potestatem  
excellenti-  
am.

Nec obstat; quòd Christus in hac vita pauper fuerit; quia sufficit, quòd vsu & affectu pauper fuerit; in his enim consistit virtus & functio paupertatis. Carentia dominij & incapacitas non est necessaria nisi in hominibus peccatoribus, quorū affectus facillè alioqui mutaretur. Simile est in castitate, ad quam sufficit affectus & vsum; incapacitas autem Matrimonij non est per se necessaria. Adde etiam Christum caruisse iure humano, & sic quoque pauperem fuisse, licet iure illo superiore esset ditissimus.

Non repu-  
gnat pau-  
perati  
Christi.

M m iij

Q V Æ.